Et illud rursus cogitur quod nobis iam compunctionum dimissum fuisse gaudeba-
mus. Agitur dum per multi temporis spatium ~~temporis~~. Licet dum nichil sustinet
dum conversionem nostram is qui culpas examinat expectat. Offeramus cum lacrimis
dulcedinem mentis. Servemus cum proximis gratiam benignitatis. Et fiducialiter
dico quia salutari hostia post mortem non indigebimus. Si ante mortem deo
hostia ipsi fuerimus. Quod nobis prestare dignetur ~~[illegible]~~

Explicit quartus liber dyalogorum beati Gregorij pape

Sermo de obitu beati Martini Episcopi

Martinus obitum suum longe ante prescivit. Dixitque fratribus dissolucionem sui cor-
poris imminere. Interea causa extitit qua condatensem dyocesim visitaret. Nam cle-
ris inter illius ecclesie discordantibus, pacem cupiens reformare. Licet finem
dierum suorum non ignoraret. proficisci tamen ob istiusmodi causam bonam hanc
virtutum suarum consummationem existimans si pacem ecclesie redditam reliquisset. Itaque
profectus cum suo illo ut semper frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu mer-
gos in flumine conspicatur piscium predam sequi. Et rapacem ingluviem assiduis urge-
re capturis. Forma inquid hec demonum est. Insidiantur incautis. Capiunt nescientes.
Captos devorant. Exsaturarique non queunt devoratis. Imperat deinde potenti virtute
verborum ut eum in quo natabant gurgitem relinquentes aridas peterent desertasque
regiones. Eodem nimirum contra aves illas usus imperio quo demones fugare consueverat.
Ita gregatim factis omnibus in unum ille volucres congregate relicto flumine montes silvasque
petiverunt non sine admiracione multorum qui tantam in Martino videbant virtutem
ut etiam avibus imperaret. Aliquamdiu ergo in vico illo vel ecclesia illa ad quam
ierat commoratus pace inter clericos restituta. Cum iam regredi ad Monasterium
cogitaret viribus corporis cepit repente destitui. Convocatisque discipulis indicat se
iam resolvi. Tunc vero meror et luctus omnium vox una plangencium. Cur nos pater
deseris aut cui nos desolatos relinquis. Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Et
quis eos a morsibus eorum percusso pastore prohibebit. Scimus quidem desiderare te Christum
Sed salva tibi sunt premia. nec dilata minuentur. potius nostri miserere quos deseris.
Tunc ille motus hiis fletibus. ut totus semper in domino misericordie visceribus
affluebat lacrimasse perhibetur. Conversusque ad dominum hac hiis flentibus voce
reddit. Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem. fiat
voluntas tua. Mirum inter spem amoremque positus dubitabat pene quid mallet.
Nam nec hos deserere. nec a Christo volebat diucius separari. Nichil tamen de voto
suo ponens sed tue voluntati relinquens totum se dei arbitrio preceptoque committens. Domine p

Ipse paucissimis verbis dicere videtur / Gravis quidem est domine corporee pug-
ne militie et iam satis est quod usque certavi / Sed si adhuc in eodem labore pro castris
tuis me stare precipis · Non recuso · nec fatiscentem causabor etatem munia tua
devotus implebo · sub signis tuis quo adusque ipse iusseris militabo · Et quamvis optata
sit missio seni post laborem est tamen animus victor annorum et cedere nescius senec-
tuti · Sed si parcis etati · Bonum est mihi domine voluntas tua · Hos vero quibus timeo
tu ipse custodias / O virum ineffabilem / nec labore victum / nec morte vincendum / qui in nullam
se partem pronior declinavit / nec mori timuit / nec vivere recusavit / Itaque cum per
aliquot dies vi febrium teneretur / Non tamen a dei opere cessabat / pernoctans oratio-
nibus et vigiliis fatiscentes artus spiritui servire cogebat / Nobili illo strato suo in cine- vilia
re et cilicio recubans · Et a discipulis rogaretur / ut saltem vilia sibi sineret stramenta sup-
poni · Non decet inquit christianum nisi in cinere mori · Ego si aliud exemplum vobis
relinquo ipse peccavi · Oculis autem ac manibus in celum semper intentis invictum ab ora-
tione spiritum non relaxabat · Et cum a presbiteris qui tunc ad eum confluxerant rogaretur
ut corpusculum lateris mutatione relevaret · Sinite inquit sinite me fratres celum potius
respicere quam terram ut suo iam itinere iturus ad dominum spiritus dirigatur · Hec locutus
diabolum vidit prope assistere · Quid hic inquit astas cruenta bestia · Nichil in me fu-
neste reperies · Abrahe me sinus recipiet · Cum ergo hac voce fatigatum divinis
operibus spiritum celo reddidit · Testantur nobis qui affuerant in ea animi hora
glorificati hominis se vidisse gloriam · vultus luce clarior renitebat · cum membra
ne tenuis quidem macula fuscaret · In aliis etiam et illo tam non satis non
pudendis septennis quodammodo pueri gratia videbatur · Quis istud unquam illum
cilicio · Quis cineribus crediderit involutum · Ita vero purior lacte candidior iam
in quadam future resurrectionis gloria et natura demutate carnis ostensus est ·
Iam vero observationem funeris credi non potest quanta hominum multitudo convenit ·
Tota obviam corpori civitas ruit · cuncti ex agris et vicis · Multique ex vicinis etiam
urbibus affuerunt · O quantus luctus omnium · Quanta precipue merentium monachorum
Qui eo die fere ad duo milia convenisse dicuntur · Specialis Martini gloria cuius
exemplo in domini servitutem stirpes tanta fructificaverat · Agebat nimirum ante
se pastor commixtus greges suos sancti illius multitudinis pallidas turbas · Ag-
mina palliata et aut emeritos labore senes aut iuratos in Christi sacramenta tiro-
nes · Tunc virginum chorus fletu abstinens pudore quo sancto dissimulabat gaudio quod
sentiret que iam suo domino gremio gauderet quod sancto dissimulabat gaudio quod
dolebat · Et si quidem fides flere prohiberet · gemitum extorquebat affectus · Tanta
enim erat de illius gloria exultatio quanta de morte perturbatio · Ignosceres
flentibus gratulareris gaudentibus · Dum et pius est gaudere Martinum et pius est
flere Martinum · Dum unusquisque et sibi prestat quod doleat et illi debeat ut gaudeat ·
Hec igitur turba corpus usque ad locum sepulcri hymnis canora celestibus turba
prosequitur · Comparetur si placet seculi illa pompa · Non dicam funeris sed triumphi · Quid

quod simile martini corpus consenciunt. Durat illa eo cum tribus suis ... pe
terga captivos. Martini corpus hii qui mundum ducti illius ... consequuntur.
Illos confusis plausibus populorum honore et sania. Martino divinis plaudentium
psalmis. Illi post triumphos suos in tartara seua truduntur. Martinus abrahe
sinu letus excipitur. Martinus hic pauper et modicus celum dives ingreditur
hymnis celestibus honoratur etc.

Incipit epistola Gregorii Turonensis episcopi de transitu beati Martini

Archadio et honorio imperantibus. Sanctus martinus Thuronorum episcopus plenus virtutibus et sanctitate prebens infirmis multa beneficia. Octogesimo primo etatis sue anno episcopatus autem vicesimo sexto apud condatensem diocesis sue vicum excedens a seculo feliciter migravit ad Christum. Transiit autem media nocte que dominica habebatur attico cesarioque consulibus. Multi enim in eius transitu psallentium voces audierunt de celo. quod in libro virtutum eius primo plenius exposuimus. Nam cum piissimus sanctus dei apud condatensem ut diximus vicum egrotare cepisset. pictavi populi ad eius transitum sicut et thuronici convenerunt. Quo migrante grandis altercatio inter utrosque surrexit populos. Dicebant enim pictavi. Noster est monachus. nobis abbas extitit. nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis ut dum esset in mundo vos fruiti estis eius colloquio communicastis convivio firmati estis benedictionibus insuper et virtutibus iocundati. Sufficiant vobis ista. omnia nobis liceat auferre vel mortuum cadaver. Ad hec thuronici respondebant. Si virtutes nobis factas sufficere dicitis. Sciatote quia vobiscum positus amplius quam hic operatus. Nam ut pertranseamus plurima. vobis suscitavit duos mortuos. nobis unum. Et ut ipse dicebat. Maior ei virtus fuerat antequam esset episcopus quam post. Ergo necesse est ut quod nobis non explevit vivus. expleat vel defunctus. Vobis enim ablatus. nobis a deo donatus. Nam si mos antiquitus institutus servatur in urbe qua ordinatus est. deo iubente habebit sepulchrum. Quod si pro monasterii dignitate eum capitis vindicare. scitote quia primo ei monasterium mediolanensis fuit. His ergo litigantibus sole ruente dies clauditur. Corpus quoque in medio positum ab utroque populo custoditur. Futurum ut mane facto a pictavis per violentiam auferretur. Sed deus omnipotens noluit urbem thuronicam a propria frustrari patrono. Denique nocte media omnes pictava a sompno falsa comprimitur. ut nullus superesset qui ex hac multitudine vigilaret. At ubi thuronici conspiciunt eos obdormisse. apprehensam sanctissimam glebam. alii per fenestram eiciunt. alii foris suscipiunt. positumque in navi cum omni populo per viennam fluvium descendunt. Ingressique ligeris alveum. ad urbem thuronicam cum magnis laudibus psallentium tendunt dirigunt copiosum. De quorum vocibus pictavi expergefacti. Nichil de thesauro quem custodiebant habentes. cum magna confusione ad propria sunt reversi. Quod si quis requirit. cur post transitum Gratiani episcopi unus tantum id est litorius usque ad sanctum martinum fuisset. noverit quia obsistentibus paganis

Et rescripserunt thuronici pictavis imprecando eo quod ebrietate dormissent
Nota de q — O pictavini bestiales et ...
Corpus martini quibus abstulit ...